

Dissertatio Ivridica Inavgvralis, De Femina Vasalla, Svccinctis Aphorismis Comprehensa

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1759]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002513715>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. Aug.1759

Mantzel, Ern. Joh. Frid.

40

Q. D. B. V.
 DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,
 DE
FEMINA VASALLA,
 SVCCINCTIS APHORISMIS
 COMPREHENSA;

QVAM,
 CONSENTIENTE AMPLISSIMO JCTORVM
 ORDINE,
 P R A E S I D E;
 DN. ERN. IO. FRIED. *Manßeln,*
 SEREN. DVCIS REGN. MECKL.
 CONSILIARIO ET PAND. PROF. P. O. TOTIVS ACAD.,
 ET COLL. IVRID. SEN. MAXIME VENERABILI,
 ATQVE AD H. A. DECANO QVAM
 SPECTABILISSIMO,
 PRAECEPTORE AC PATRONO SVMMOPERE COLENDO,
 CONSEQVENDORVM IN VTROQVE IVRE
 HONORVM CAVSSA,
 IN ACADEMIA PATRIA,
 D. AVGVST. A. MDCCCLIX.
 H. L. Q. C.
 PVBLICO EXAMINI EXPONIT
 GABR. CHRISTOPH. BVRCMANN,
 ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII,
 TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SEREN. DVC. REGN. ET ACAD
 TYPOGRAPHI.



DE
FEMINA VASALLA APHORISMI.



I.

Germanorum, sigillatim Francorum, administratos olim Vassos, et Vassallos adpellatos esse, constat. Distinguunt nonnulli Vassos, tamquam Dominicos, a vassallis inferioribus, siue cassatis procerum, velut deminutiuo nomine vocatos. Sed antiquiora, quae supersunt, diplomata vtramque vocem promiscue usurpant. Si quod fuit discrimen, haud magnum, aut diuturnum fuit. Certe Vassorum adpellatio diu obsoleuit, retento Vassalli nomine, veteraque scriptione dimissa.

II. Olim Vasalli dicti sunt, quorum opera Principes utebantur ad praestanda munia, siue palatina, siue militaria, siue ciuilia, quorum officium generatim vassaticum, nec non ministerium adpellatum est. Sola obligatio ad munus, interposito iuramento, facta, Vasallos constituabat, nec opus erat beneficii, licet plerisque eadem tribuerentur, aliis in exordio, aliis in progressu, quamdiu muneri praerant.

A 2

III. Haec

III. Haec beneficia personalia, quae beneficiis innexa erant, et proprietate irrevocabili carebant, praeludia fuerunt beneficiorum haereditariorum, quae sequior aetas fidei vasalliticae adligavit, sicuti Francorum Vassi praeluferunt Vasallis hodiernis, qui feuda possident. Quemadmodum igitur vasallus nostris moribus is est, qui feudum tenet; sic institutis clientelaribus aestimanda est Vasalla, seu Femina feudum sub lege fidelitatis tenens, de qua succincte dicere institui.

IV. Beneficiorum adpellatio, postquam instituto Germanorum feudali adcommodata fuerat, diu quidem propagata est; vernaculae tamen, atque barbarae voces, dictionem prope Romanam exstinxerunt. Saeculo XII. quatuor simul vocabula clientelaria: beneficium, feodum, feudum, et Lehen, usurpata esse, monumenta docent. Longius progrediuntur nonnulli, et feodi nomen Saeculo XI. antiquius statuunt. Sed L. A. MVRATORIVS, productis Saeculi XI, et XII. documentis, addit: 1) *an ante Saeculum XI. reuera fuerit nomen feodi, ego nondum e probatis tabulis didici. Qui secus putant, videant, num legitimis tabulis nitantur.* Ex quibus non immerito conii-citur, nominis feod usum feudalem (vulgarem enim aliis disquirendum permitto) ante Saeculum XI. vel nullum, vel particularem, et rariorem, certe in curiis minus familiarem fuisse. Non magni interest, iudice IO. HEYMANNO, ICTO Altorfino, utrum ista vox nudius tertius usurpata fuerit, an multis abhinc Saeculis.

V. Vasalla me deducit ad feuda, quibus dominium adscribitur diuisum: directum, quod ad feudi Dominum, atque utile, quod ad Vasallum refertur. Directum ex iure ciuili repeti nequit, quod illud nescit. Primum in textu feudali occurrere dicitur. Rubrica 2) forte putatur, quae in mea editione desideratur, nec magnam habet vim. Antiquae leges, et litterae clientelares ignorant dominium utile, vasallo usum-

1) *Dissert. de allodiis. vassis, vasallis cer. T. I. Antiquitat. Ital. medii aevi 1723. inserta, et thesauri I. F. Ienichiani T. III. recusa p. 245 247.*
 2) *II. 3. 4. I. dominium directum, qua ratione possit vendi?*

usumfructum tribuunt, non dominium utile. Saeculo adhuc XIII. multis chimaera creditum est. Interpretes I. F. procul dubio id inuenerunt, usumfructum Romanum, et Germanicum confundentes, quorum hic illo multo latius patet. De vocabulis receptis, quae nil incommodi habent, friuolum est litigare; non negligenda autem vox est Illustriss. L. B. de SENCKENBERG: vassallus non dicitur dominus, nisi improprie, sed impropriis verbis utendum non est, quamdiu propria suppetunt.

VI. Feudis, quae insunt, in essentialia, et naturalia distingui consueverunt. Non obscura sunt essentialia, et accidentalia in se spectata; quid vero sibi velint, quando naturalibus opponuntur, haud aequae patet. Inter essentialia, et accidentalia non datur tertium. Quo loco ergo habenda sunt naturalia, quae ab utrisque distinguuntur? Quodsi naturalia ad illa, vel haec reuocari possunt, redundant; sin ex utrisque mixta sunt, confusionem pariunt, cum essentialibus, accidentalibus accidentalibus adiicienda fuissent, ut bonae diuisionis legibus pariter satisfiat, atque feudorum indoles pelluceat. Potissimum naturalium abusum prodit distinctio inter feuda propria, siue regularia et impropria, siue irregularia, quam glossatores excogitarunt, genio saeculi, seu scholasticis abstractionibus indulgentes. Diuersis diuersae terrae legibus utuntur feudalibus, prout iis consentaneae et pactis constitutae sunt. Placitis Doctorum abstractis, et aliarum regionum institutis, se constringi haud patiuntur Principes. Extra territorium eorum irregularia, et impropria censerri possunt, quae tamen ipsorum ditionibus optime conueniunt, indeque regularia, atque propria haberi debent. Esto, consuetudines feudales extraneas, prouinciarum, siue viciniorum, siue remotiorum, intraneis fundamenti haud raro disconueniunt, sicut alioquin similia saepe sunt, dissimilia. Quapropter dubii casus, siqui obueniunt, ad leges domesticas exigendi sunt, non ad peregrinas, quibus Imperantes obligare velle, summis eorum personis indignum est.

VII. Imperii Romano - Germanici feuda sunt vel imperialia, vel prouincialia. *Imperialia*, quae a Supremo capite tenentur, ratione obiecti in saecularia, et ecclesiastica dispefcuntur. *Saecularia*, seu feuda vexilli, constituuntur in rebus saecularibus (quae ad rempublicam ciuilem pertinent); *ecclesiastica* in rebus ecclesiasticis (quae ecclesiae, qua tali, eiusque aerario adsignata sunt.) Haec ab antiquiore inuestiturae symbolo, Krumstaebisch Lehn; a recentiore illius insigni, feuda sceptri vocantur. Vtraque a praecipua nobilitatis eminentioris specie, feuda regalia denominantur, reliquas tamen illustris nobilitatis species una comprehendunt. Prouincialia feuda, quae a domino prouinciae, seu territorii obtinentur, consistunt in praediis, ceterisque bonis, quae cum ipsis coniuncta sunt, aut iis aequiparantur.

VIII. Prouincialia feuda cum ego potissimum respiciam, feuda corporalia, et incorporalia, prout ab obiecto dicuntur, hoc loco distinguere non inutile erit. Corporalia plerumque in rebus immobilibus, fundis, eorumque pertinentiis posita sunt. Incorporalium nomine veniunt iura, quae honores, aut emolumenta adferunt. Generatim regalia (regaliae) vocantur, et cum feudis regalibus misceri non debent. Planius et commodius iura superioritatis territorialis audiunt, postquam iura Maiestatis Caesareae, a regalibus Statuum imperii, ab aeuo Henrici V. distingui coeperunt. Sunt alia maiora, et incommunicabilia; alia minora, et communicabilia. Haec posteriora dum quoad exercitium in feudum adsignat Princeps, supremam in ea potestatem, siue inspectionem haud exiit, vel amittit, sicuti Doctores iuris tum publici, tum clientelaris praecipiant. Refertur huc v. g. iurisdictio, cuius variae reperiuntur species, quae iurisdictionis omnimodae nomine comprehenduntur. Aliquando sola iurisdictio, siue alta, siue alia species, una, singulatimque absque ullo praedio, et fundo, in beneficium conceditur. Reuocant haec mihi in memoriam mobilia, quae non solum adcessorie, sed et separatim in feudum concedi possunt; sigillatim pecuniam,

niam, a qua feudum pecuniarium denominationem inuenit. Ad feudum pecuniarium pertinet certa pecuniae summa, quae consensu Domini feudo inhaeret, et interueniente pacto agnatorum, simul inuestitorum, in feudo perpetuo conseruanda est. Alia est ratio fidei commissi familiae, quod cum feudali pecunia confundi non debet. Eius tamen non solum publicatio proficit, sed etiam confirmatio, prout res fert, impetranda est, ut rixae, et confusiones deuitentur.

IX. Distinctionem tandem inter feuda data, atque oblata, praeterire nequeo, quoniam successioni femineae in feudis oblati patrocinari nonnullis creditur. Impropriis pauci ad censent feuda oblata; contra plerique eadem per se sua natura in omnibus, quoad interiorem conditionem, quoad iura domini, et vasalli naturam habere feudorum datorum, arbitrantur. Vulgo tamen magnus oblatorum feudorum fauor censetur, ut non in successione tantum, sed prope in omnibus negotiis aestimandis, offerentis feudum, quam adipientis, melior, lautiorque merito suo habeatur conditio. Geminam adlegari rationem video, quod feuda oblata re ipsa non sint beneficium Domini, sed vasallorum liberalitati adcepta ferenda sint. Vtraque tantum Domino detrahitur, quantum vasallis praeter meritum conceditur; nihil autem proficitur, quia ex solo obiecto haec conclusio deducitur. Lubricae sunt omnes argumentationes, quae actum dimidiatum, multo magis, quae unicum obiectum repraesentant, et ex eodem totum rei ambitum inferunt. Expendamus, quibus de causis allodia in feuda sint oblata. Septem recensent HERTIVS et THOMASIVS, ex quibus adparet, ne umbram quidem liberalitatis verae in feudorum oblatione deprehendi, dominorum autem directorum insigne fuisse beneficium, quod non sine periculo, cum quo exiguum domini directi ornamentum, et lucrum comparari nequit, offerentes non repudiarunt, sed in tutelam susceperunt, quod egestate, et aere, alieno pressos subleuarunt, quod familiarum detrimenta auerterunt, et offerentibus haud raro noua decora, aut commoda adiunxerunt. Feudorum obla-

oblatorum praerogatiuas antiquiores. et recentiores, quae doceri queunt, nullatenus infitior, licet plerisque olim offerentibus procul dubio occasio defuerit, eas sibi, posterisque stipulandi. Id tantum volo, ex solo obiecto (allodio, quod oblatum est) illas repetendas non esse, sed ex pactis, quae legem dant; non velut exploratas supponi, sed documentis idoneis confirmari debere.

X. Germaniam maiori feudorum, quam allodiorum frequentia subinde abundasse, dicant, qui amborum catalogum omnis aevi in numerato habent; eam autem feudorum paucitatem fuisse, quam WERN. THVMERMVTHVS, LVDEWIGVS, cet. venditant, vix mihi persuadeo. Interest nobilitatis gentilitiae, et auitae, ut splendorem antiquum, ut possessiones equestres conseruet. Num autem hic finis non alia admittit feuda, quam oblata? nonne veri, rectique limites transgrediuntur, qui cum de GEMMINGEN venditant, post fata demum RVDOLPHI I. allodia in feuda offerri coepisse? feuda opimiora esse oblata, tenuiora vero esse data. Satis habeo generatim commemorasse, allodia saepius, sigillatim ab exeunte Saeculo XII. Dominis oblata esse, quibus iam ante subiecti erant offerentes, prout monet illustr. PVETTERVS. Quod quantum feudorum oblatores minuat fauorem, primus obseruauit Illustris Dom. Praefes. Controuersia de prouincialibus feudis non alio loco censerit potest, atque ista, de qua Illustr. MASCOVIVS: *fere inanis est quaestio de feudis imperii, sintne pro datis, an oblatis habenda?* seu ut eius interpretes HOMMELIVS loquitur: *Ein Vasalle ist so gut ein Vasalle, als wie der andere. Genug du hast einmahl den Lehneid geschworen, es mag nun im übrigen der Anfang gewesen seyn, wie er will.*

XI. Parum mea refert denuo perquirere, quinam feudorum primi fuerint auctores, praesertim cum hoc argumentum plurimis scriptis excussum sit. Germanicum esse contractum feudalem, GROTIUS adfirmat, cui eo lubentius subscribo

subscribo, quod femina Vasalla germanicis institutis metienda est. Qui prima feudorum vestigia cum I. C. SPENERO in Germanica antiquitate; seu Comitibus Germanorum Principum, quos TACITVS laudat 3) inuenisse sibi videntur, occasionem potius indicant, ex qua intelligitur, cur Germani, non reliqui populi, feudis operam dederint, non veram originem, quae inter migrationes gentium in terris exteris, a Germanis sibi subiectis, rectius inuenitur. De gente certa Germanica, quae reliquis gentibus Germanicis praeiuerit, uniuersim nil definiri potest, nisi earum quasdam putes, quarum res gestae ad nostram aetatem peruenerunt, et diligentius descriptae sunt.

XII. Palmam decernunt magni nominis viri Longobardis, qui, priusquam Saeculo VI. in Italiam penetrarunt, ditiones quasdam ad Albim tenuisse feruntur, quas Saeculo IV. reliquerunt. Sede igitur rum fuerint Germani necesse est, origine vero tales fuisse, inde non obtinetur. Aliunde eos huc mouisse, quis dubitet? Vndenam vero discesserint, non aequae facile patet. Fuerint Cimbri, aut Holfati, nondum ea propter Germani censerit possunt, nisi probaueris, eos ex Cimbria, aut Holfatia australi prodiisse, aut Germanis adscribas populos septentrionales, eosque qui Regi Daniae non nostro solum parent, sed et prisco paruerunt aeuo. Prouocant, qui a Longobardis feuda repetunt, ad leges Longobardorum, Francorum imperio antiquiores, in quibus beneficia, et fideles Regis occurrunt. Sed ceteris relictis, beneficiorum, et fidelium nomina tam variae sunt potestatis, ut ab iis solis ad feuda concludi haud possit. Pro Longobardis autem non alia urgeri posse, testatur MVRATORIUS laudatus: *Sunt qui e Longobardis, Germaniae populis, feudorum usum deriuant, quibus adsentiri nequeas, cum neque in Longobardorum Regum legibus, neque in vetustis gentis illius monumentis quidquam occurrat, unde eluceat, apud eos populos feuda in usu fuisse.*

B

XIII.

3) De MONTE SQVIOV de l'Esprit des Loix, P. II. L. XXX. C. III pag. 261.

XIII. Franci non fede tantum; sed et patria Germani fuerunt. LEIBNITIVS, atque ECCARDVS, a mari Baltico illos arcessiuerunt, contradicentibus nonnullis, ut P. de TOVRNEMINE, et GVNDLINGIO, plerisque suffragantibus. Societas tamen Anglorum clarissima 4) sedes, Francis auitas in Hassia, Westphalia, et finitimis ditionibus citra Rhenum, circa Moenum, ad mare, et Visurgim usque reddidit, adlegata Peutingeriana tabula. Eamdem testatur CHRIST. VLR. GRYPEN, 5) qui LEIBNITII, et GVNDLINGII mentione obiter iniecta, alias se Francorum sedes primas, et originarias inuenire posse negat, quam quas tabula Peutingeriana definit. Desiderat in ea D. SEMLERVS adcuracionem, ad editionem procul dubio Velferianam respiciens, cuius sphalmata retinuerunt, et auxerunt, quotquot illam recuderunt. Tabula ipsa laude sua non defraudanda est, et post reliqua fata in bibliothecam Vindobonensem transiit, haud ita pridem accuratius typis exscripta. 6) Cum autem Franci generatim in varias diuisi essent tribus, praeteritis reliquis, una cum Ripuariis, qui circa 458. Gallia Belgica potiti, inde adpellationem inuenisse perhibentur; solos adtingo Salios, siue a Sala, terra domus, siue a Sala (Issala) fluuio denominatos, qui leges sic dictas Salicas ante discessum ex patria, circa 422, idiomate germanico consignari curarunt, ut docet prologus emendatae, et latinae editionis, sigillatim verba: *dum adhuc barbarie tene- retur.* Franci hi Salii, iteratis hoc saeculo vicibus, Galliam tentarunt, firmam tamen in ea, ac fixam sedem demum CCCCLXXXVI. obtinuisse creduntur, cum CHLODOVAEVS, CHJLDERICI 481. mortui, filius, et successor 511. defunctus, genti imperaret, 7)

XIV.

4) *Historia orbis terrarum, eiusque uersione P. XVII. 1758. p. 401. sqq.*

5) *Observationib. de primis Francorum sedibus originariis. 1758. Hann. excusis, statim sub ingressum p. I.*

6) *Indicem praefert; Peutingeriana tabula itineraria, quae in Augu-*

sta bibliotheca Vindobonensi nunc ser- uatur, accurate exscripta, Numini, Ma- iestatique Mariae Theresiae, Reginae Augustae dicata. Vindob. 1753.

7) *MVRATORIVS historia Italiae ed. Lipsiens. P. III. p. 260. 265. 280.*

XIV. Huic aevo, et genti, quae Longobardis longe prior regnum in tellure extera condidit, feudorum origines non immerito adscripserunt summi viri. Nonnulli prouocant ad diuisiones regionum, sigillatim terrarum Salicarum. Sed lex Salica, quae earum mentionem facit, inscripta est de alodiis, non de feudis, oeconomica potius, quam ciuilis est, de haereditatibus statuit, et inter eas de terris Salicis, quibus milites sustentabantur, quamdiu seruitia praestarent, quod copiose docet] de MONTESQUIEU. 8) Rectius, qui Francis repertorum feudorum gloriam adserunt, eorum Vassos, atque Vassallos, una cum beneficiis personalibus, officiis illorum innexis testantur. Neque dissimulari potest, haec Merouingicorum instituta hodiernis praelusisse feudis, eorum velut semina continere, indeque primam feudorum originem Francis deberi. Nimium autem illis tribuunt, qui feuda simpliciter, et procul omni temperamento ab illis arcessunt, cum CAROLO M., et successoribus nonnulla, quae huc spectant, relinquenda sint; ut THOM. FRANZIVS, consentiente PETRO TORNOVIO non dubitauerit, CAROLVM M. feudorum italicorum auctorem salutare. Quibus etsi suffragari non sustineam, tanto tamen interuallo Francorum beneficia a feudis nostrae, et superioris aetatis disiunguntur, ut a Francis feudorum completorum primordia deriuari nequeant.

XV. Beneficiis genuinam, propriamque rationem, haereditaria conciliauit successio, lege publica firmata, a qua veram simul traxerunt originem feuda. Quod qui diffiteri, et feuda ex Francorum beneficiis aestimare vellet, hodierna feuda impropria dicere cogeretur, ut I. H. BOEHMERVS solide obseruauit, qui tandem concludit: *postquam tractu temporis feuda in descendentes deuoluta, et successoria facta sunt, in uniuersum fere nouam adceperunt formam, adeo ut ita nouiter effigiata, propriam suam rationem impetrauerint, et quae morte vasalli exspirant, ad impropria hodie referantur.* Quapropter non miror, Jctos, qui feuda

B 2

propria

8) De l'Esprit des Loix L. XVIII, c. 22.

propria ab impropriis curatius distinguere instituerunt, successione, tamquam ad essentiam feudi pertinentem huius descriptioni inferuisse. Ab ovo rem orditur G. L. BOEHMERVS, et ad quaestionem: *quando beneficia in feuda sunt mutata?* respondet: *si quid recte coniicimus, beneficia veram feudorum naturam non prius adceptasse videntur, quam ex quo sensim haereditaria fieri coeperunt.* Successionem autem haereditariam lege publica 9) A. CIOXXXVII. primus introduxit Imperator CONRADVS Salicus, qui nobis II., Italis CONRADVS I. adpellari fuit, Saeculo XI., qui non solum praecepit, *ut nullus miles sine certa, et conuicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum constitutionem Antecessorum, et iudicium Parium suorum;* sed et de successione statuit: *praecipimus etiam, ut cum aliquis miles sine de maioribus, sine minoribus de hoc saeculo migraverit, filius eius beneficium habeat. Si vero filium non habuerit, et Abiaticum ex masculino filio reliquerit, pari modo beneficium habeat. - - Si forte Abiaticum ex filio non reliquerit, et fratrem legitimum ex parte patris habuerit - - beneficium, quod patris sui fuit, habeat.* En initia successionis haereditariae legalia, et cum iis feudorum verorum! seu ut MVRATORIUS laudatus inquit: *feudorum leges suum praecipue incrementum, ne dicam, exordium, debent CONRADO I. Imperatori, cuius edictum argumento esse potest, inter veterum beneficia, feudi nomine donata, non parum discriminis intercessisse.* Vrgent nonnulli, successionem filiorum haereditariam iam ante CONRADVM II. constitutam fuisse; CONRADVM autem Salicum non tam de illa primum stabilienda, quam ulterius proferenda cogitasse. Recipiunt se ad HENRICVM S. seu II., proximum CONRADI II. antecessorem, eiusque constitutionem quamdam. Haud abnuo, nonnumquam patris bene meriti filio non inhabili beneficia conferuata esse; haec autem successio nondum certa lege nitebatur, multominus ius succedendi inuoluebat, sed gratiae imperantium adcepta ferenda erat, Vni concessioni HENRICI II., quae

9) Exhibet eam integram MVRATORIUS rerum Italicar. P. II. P. 177., sed non satis expurgato exemplo usus, repetit antiquitat. Ital. medii aevi T. VIII., ex quo haec verba descripti.

quae adlegata est, plures aliae eiusdem Imperatoris opponi possunt, prout factum est a SCHAUMBURGIO, cum quo pariter sentio, *scriptorum istius aevi testimonia, quae filios de feudis paternis inuestitos fuisse, loquantur, ita semper accipienda esse, ut iuri domini de feudo, per mortem vasalli vacante, pro lubitu disponendi nihil detrabatur.*

XVI. Cum autem CONRADI II. lex in Italia promulgata sit, quaesitum fuit, num ad solam Italiam, an simul ad Germaniam, pertineat? posterius de lege, a Rege non Italiae solum, sed et Germaniae imperante, comitiis publicis in campis Roncalicis, prope Placentiam; congregatis, tanta cum solennitate rogata, iure, meritoque praesumitur, sicut et ab eotempore scriptores Germani Imperatoris edictum laudant. Opinantur tamen alii, geminam a CONRADO eiusdem argumenti legem latam esse, priorem in Germania, seu primis comitiis Aquisgranensibus 1024; posteriorem in Italiae campis Roncalicis 1037. Quemadmodum autem CONRADI constitutio ad milites maiores, et minores proxime spectat; ita nullatenus dubitari potest, militaria, et praefectoralia beneficia in feuda haereditaria transiisse. 10) At beneficia ministerialibus concessa, antiquam beneficiorum rationem diutius retinuerunt, donec ab ineunte Saeculo XIII. feudorum induerint indolem. Quod vero in Ducatibus, aliisque feudis maioribus Germaniae successio serius, nec eodem tempore locum obtinuit, variis de causis contingere potuit. At Saeculo XII. Duces non solum, sed et cum Dynastis haereditariis Comites, qui non amplius a pagis, sed a castris, vel sedibus denominabantur, successionem sibi adquisiuerunt, nec minus Landgrauiorum, et Burggrauiorum recentes dignitates haereditariae factae sunt. Eodem hoc Saeculo LOTHARIUS Saxo, seu II.

B 3

succes-

10) Haec, et reliqua Illustr. G. L. BOEHMER, *Prolus. de feudis ex veterum Francorum beneficiis enatis*, honoribus Doctoral. Domin.

I. H. SCHROEDERI, hodie Consiliarii Cancellariae Iustitiae Rost. Illustris, 1749. praemissa persequitur.

successionem ad collaterales amplius extendit. Feudis autem Germaniae provincialibus, saec. demum XV et XVI. successionem fratrum, et cetera collateralium haereditariam, insignem utique beneficium, Dominorum territorialium gratia additam esse, declaratione Electoris Saxoniae 1428. data, et exemplis Pomeranorum 1459, Lusatiae inferioris 1575. comprobatur (Celeb. HOMMELIVS. II)

XVII. De feudis Mecklenburgicis longe plurima differenda forent, si, quae non dicam, superioribus saeculis, sed intra quinquaginta annos nouissimos de iisdem disceptata sunt, perconsulere, et perlustrare vellem; sed retinet me pactio haereditaria, quam quarto abhinc anno 12) Dux Regnans CHRISTIANVS LVDOVICVS, gloriosissimae memoriae, et Serenissimi Principes Filii, quorum Primogenitus FRIEDERICVS, Herus noster longe clementissimus, exeunte Maio 1756. imperio praeesse feliciter coepit, ditioni suae subiectis gratificati sunt, atque hi tamquam sanctionem pragmaticam uniuersalem magno consensu susceperunt, atque subsignarunt. Adiectae huic transactioni, et simul confirmatae sunt reuersales A. 1572. et 1621. Insertus est eidem peculiaris articulus de re feudali Mecklenburgica, 13) qui generalia, et maxime necessaria determinat; de reliquis speciale ius Feudale Mecklenburgicum pollicetur propediem publicandum, simulac de singulis fuerit conuentum. Intelligitur hinc, in his terris dari tam feuda, quae iuramentum feudale, et litteras clientelares postulant; quam allodia, quo, praeuio homagio, inuestiuntur, quotquot inuestituram, ut par est, petunt, nec suspicionem de veritate allodii mouent. Ex litteris reuersalibus huc reuocari possent virgo nobilis usufructuaria, quae reditus praedii percipit. Quoniam illa vero nec inuestitura clientelari, nec successione in feudum gaudet, hanc tamquam ad me non

II) *Oblectamentis I. F. obs. XIV.*
§. 5. p. 104. sqq., coll. eius *Academ.*
Raeen de iure feudorum.

12) d. 18. April. 1755.

13) n. 22. §. 434. sq. p. 223. sq.

non pertinentem dimitto, et ad viros celeberrimos, qui solertissime de eadem egerunt, ablego, scilicet C. M. MVELLER, E. I. F. MANTZELN, E. A. RVDLOFF, C. de NETTELBLADT. De femina Vasalla nil in noua pactione exstat, nec quidquam de illa in medium adferre sustineo. Attamen non ignota sunt ditionibus Mecklenburgicis feuda feminina, quod vel ex solo TORNOVIO probari posset. In promptu mihi sunt iuramenta feudalia, et allodialia, seu homagia, quorum exempla una cum litteris clientelaribus summorum Patronorum debeo fauori. In conspectum eadem producere constitueram; sed a proposito nunc desistere cogor.

XVIII. Adplicanda sunt, quae haecenus de feudis generatim commentatus sum, ad feminam Vasallam. Praemisi eadem velut principia, quoniam, his positis, de conclusionibus rectius existimatur, certe diffidorum vera origo facilius perspicitur. Vana autem me spe traducerem, si sola principia de feudis generalia, controuersis de femina Vasalla dirimendis sufficere, putarem. Coniungenda iisdem sunt alia, quae proprius feminam, vt Vasallam, adtingunt, nonnumquam etiam quaedam aliunde in subsidium vocari debent, quo cardo rei, et disputationis in aprico collocetur, qui praecipuus eruditorum operae scopus, et simul fructus est, si fuerit obtentus. Vt omnes enim in eandem sententiam descendant, et conspirent, nemo unquam expectauerit, qui eruditorum diuersa ingenia et studia non ignorat, et quanta sit adfectuum apud mortales vis, rerum usu edoctus est. Intelligentur haec ex specialiori commentatione, de qua nihil adiciere satius reor, quam paucissima, intra quae subsistendum foret. Aphorismos autem hos praeliminares, quibus femina Vasalla carere nequit, non solum vberius deducere, verum etiam principalem, vna tractationem, publicae luci, cum omnia disposita iam sint, propediem exponere, d. v., constitui.



PRAE-


CONSULTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO,
ANIMITVS GRATVLATVR,
PRAESES.

Nosti, *Vir Consultissime!* quod studium Juris Feudalis mihi sit ex delictis. Praebet idem *Amoenitates*, uti est in rubro Opusculi egregii *Budariani*, praebet *Oblectamenta*, *vid.* venustum scriptum *Hammelianum*. Sunt, inter mea affecta, *Deliciae Juris Feudalis Mecklenburgici*: veniat responsurus et distribuetur dissertatio. Verum Jus Feudale regitur Historia et habet vneres ex studio etymologico, quod mihi semper praebet bellaria et epidipnidem. De vero scribo jure feudali; nam feuda abusive sic dicta ego ridere, ut nosti, soleo. Talia feudula reguntur sola essentia, contractuum innominatorum et ego una die multa nova, et inaudita haecenus, *Lesne*, pingere vellem. Memento, *Vir Doctissime!* meae haereseos, in doctrina, in dictatis ita expressae:

Nullum datur pragmaticum in Imp. R. G. Jus feudale, nisi inter Imperatorem et Status Imperii et inter Principes Imperii atque Nobiles. Qua officia hereditaria res per se est clara.

Stat sententia, de delictis et nunquam magis exporrectae frontis sum, quam quoties datur occasio laborandi in feudalibus. Hinc fluit, *Vir Consultissime!* mea gratulatio, ad Te et memetipsum: ad Te, qui in pari mecum versaris amore Juris feudalis, cujus studium et hic et in Academia inclyta Georgia-Augusta, sedulo tractasti, excoluisti atque, inter alios sudores, ad diem inauguralem usque continuasti. Uttere, frueri illo studio per omnem Tuam vitam, feliciter. Qua memetipsum, gratulor mihi, vehementer, quod aliquid contulerim, ad insinuandum Tibi nobile illud studium: Gratulor mihi cordicitus, quod ea mihi contingat felicitas, Te, inauguraliter disputantem, cum Tua disputatione, cujus ne lineola quidem mea est, in cathedram comitandi Tibique jura et ornamenta Doctoralia conferendi. Gratulor summe venerabili Domino PATRI, Theologo nostro Seniori famigeratissimo, Reverendique Ministerii Rostochiensis Directori gravissimo, Fautori, Collegae et Amico meo, ultra quadraginta annos, longe aestumatissimo, suavissimo, de pari Filiorum doctissimorum, Juris Doctorum, Patriam, Remp. et Familias splendidissimas studiis juris decorantium. Conservet Deus T. O. M. hunc Magnum Virum, per annorum decades, in Ecclesiae Lutheranae insigne commodum et Familiae inclytae solatium meumque quamdiu simul et una adhuc vivam, gaudium. Tu autem, *Vir Ornatissime!* age rem Tuam feliciter, meque meosque, qui Tui erimus semper, amicis Tuis benevole annu-mera. Dabam Rostochii Anno MDCLV IIII, die XXVII, mensis Julii.







APHORISMI. 15

tem dimitto, et ad viros celeberrimos, qui fole-
dem egerunt, ablego, scilicet C. M. MVELLER,
TZELN, E. A. RVDLOFF, C. de NETTELBLADT.
Vasalla nil in noua pactione existat, nec quidquam
medium adferre sustineo. Attamen non ig-
tionibus Mecklenburgicis feuda feminina, quod
TORNIOVIO probari posset. In promptu mihi
ta feudalia, et allodialia, seu homagia, quorum ex-
um litteris clientelaribus summorum Patronorum
i. In conspectum eadem producere constitue-
proposito nunc desistere cogor.

I. Adplicanda sunt, quae haectenus de feudis
ommentatus sum, ad feminam Vasallam. Prae-
velut principia, quoniam, his positis, de conclu-
sius existimatur, certe diffidiorum vera origo faci-
itur. Vana autem me spe traducerem, si sola
feudis generalia, controuersis de femina Vasalla
iustificere, putarem. Coniungenda iisdem sunt alia,
as feminam, vt Vasallam, adtingunt, nonnumquam
am aliunde in subsidium vocari debent, quo cardo
tationis in aprico collocetur, qui praecipuus eru-
rae scopus, et simul fructus est, si fuerit obtentus. Vt
in eandem sententiam descendant, et conspirent,
am exspectauerit, qui eruditorum diuersa ingenia
n ignorat, et quanta sit adfectuum apud mortales
usu edoctus est. Intelligentur haec ex specialiori
one, de qua nihil adiciere satius reor, quam pau-
a quae subsistendum foret. Aphorismos autem
inanes, quibus femina Vasalla carere nequit, non
us deducere, verum etiam principalem, vna tracta-
licae luci, cum omnia disposita iam sint, propediem
o, v., constitui.



PRAE-